



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De rebaptizatis. lv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

cato. De his autem subtilius ac latius loqui debueram, sed dum me & curarum tumultus præmunt, & harum portio ut laxaretur importunus extitit, unde multa debui, pauca locutus sum.

De energumenis baptizatis. Cap. LIII.

Energumeni baptizati de purgatione sua curantes, si se sollicitudini clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communicent, sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incurso dæmonis quo infestantur, vel purgandi, quorum iam ostenditur vitæ purgatio.

De energumenis & catechumenis baptizandis.

Caput LIII.

Energumenis & catechumenis in quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permisserit, de baptizandis consulendum.

De rebaptizatis. Cap. LV.

CVM rebaptizatis fideles religiosi nec in cibo participent.

De presbytero qui rectè baptizatum denuò baptizauerit, & non rectè baptizatum ab hæreticis non baptizauerit. Cap. LVI.

Episcopus aut presbyter si eum qui secundum veritatem habuerit baptismum denuò baptizauerit, aut si pollutum ab impiis, & non rectè baptizatum non baptizauerit, deponatur, tanquam deridens crucem & mortem domini, nec sacerdotes veros à falsis sacerdotibus iure discernens.

Ut diaconi suam mensuram custodiant. Cap. LVII.

Diacones quoque propriam constituimus seruare mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum, quippiam tentare permittimus: nihil eorum suo ministerio penitus applicare, quæ primis ordinibus propria decreuit antiquitas. Absque episcopo & presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis officii longius constitutis, necessitas extrema compellat, quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur.

Ex cõcil. Arausico, cap. 13.

Ex eodẽ cap. 14.

Ex cõcil. Euerdësi, cap. 14.

Ex cõcil. Lugdunẽ, cap. 47.

Ex decre. Gelasii papa. ca. 7.